



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Primordia Christianæ Religionis Per Boiariam Et Loca quædam vicina; Catalogum videlicet & ordinariam successionem Archiepiscoporum Salisburgensium, & Coëpiscoporum, Frisingensium, Ratisponensium, Patauiensium, ac Brixinensium

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Priuilegium Arnolphi Caes: Episcopo Engelmaro concessum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13553**

vnam semitam vsque ad locum qui dicitur Tumus, & inde, per circuitum vsq; ad prædictum Kirchbach, & deinde vsq; ad Markam Theotherij, & inde vsque sursum Cynnenberg. Has itaque res, cum prædicta Ecclesia, cum Vineis, terris, cultis & incultis, pratis, syluis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, adiacentijs, peruijs, & exitibus, & regressibus, totum & ad integrum, quemadmodum Rathodus Comes Annonicor Episcopo ipsas res consignauit, ita prædictæ Ecclesiæ pœnitentialiter concessimus, & de nostro Iure in ius & ditionem eius, liberalitatis nostræ munere conferimus, ita videlicet, vt quicquid Rectores & ministri supradictæ sedis de ipsis rebus, iure Ecclesiastico, facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, tantum scilicet, vt dum Annonicor Episcopus, atque Anno Nepos eius, aduixerint, ipsas res tenere & vsare faciant, & nullus eis ipsas abstrahere præsumat, & post illorum discessum cum integritate ad eandem Ecclesiam reuertantur. Et vt hæc auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inuiolabilem atq; inconcussam obtineat firmitatem, manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione signare iussimus. Signum Ludouici gloriosissimi Regis. Adalocus Diaconus ad vicem Grimaldi recognoui. Data XIV. Kal. Maij, Anno Christo. propitio, III. Regni Domini Ludouici Regis in Orientali Francia indiction. XIV. lectum Ostrenhoua, pallacio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

dd. *Privilegium Arnolphi Cas: Episcopo Engelmaro concessum.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Arnolfus diuinâ fauente gratiâ Imperator Augustus. Si de rebus terrenis, quibus diuinâ pietate iure hereditario sublimati atque coronati sumus, aliquam particulam, ad Monasteria à Deo sanctis ac iustis hominibus prædita, largituri sumus, non solum præsentialis, verum etiam æternæ vitæ remedia à Deo omnipotenti, & sanctis eius, inde nobis concessa manifestissime credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumq; tam præsentium, scilicet quam & futurorū, cognoscat industria, qualiter nos, diuinâ atq; humanâ fidelium nostrorū amonitione, quandam particulam proprietatis nostræ sancto Dei confessori Valentino, atq; B. Stephano, prothomartyri eius (ad quorum laudē & honorem Patauien. Ecclesiæ Episcopatus constructus atq; dedicatus dignoscitur, cuius nūc Engelmarus, dilectus atq; fidelis Episcopus noster, pastor & Rector bonus, ac prouidus esse dignoscitur) illuc perpetualiter in proprium retinendam concessimus, hoc est, in eadem vrbe Patauien. mediam Dominicalem aream nostram, quæ vsque hodie ad opus nostrum ibi pertinebat, cum omni integritate ad iam dictum sanctum locum, iure perenni, in proprium donauimus atque tradidimus, eā videlicet ratione, vt ipsa area, per hanc nostram auctoritatem firmiter in Dei nomine roboratam, sub potestate eiusdem Rectoris atq; pastoris perpetualiter consistat. Et vt hoc certius credatur, manu propria subter eam affirmantes, annulo nostro insigniri iussimus. Signum Domini Arnolphi, inuictissimi Imperatoris Augusti. Wihingus Cancellarius, ad vicem Theodmari recognoui. Datum idus Decembris, Anno Domini DCCCXCIII. Indiction. prima. Anno Regni Domini Regis Arnolphi vndecimo, Imperij autem tertio. Actum in ciuitate Regina, in Dei nomine feliciter Amen.

ec. *Error in dat. Prescribendus est numerus 893. sicut patet ex denominatione Arnolphi proxime præmissa. Cetera diplomata ad Episcopum Winechindum pertinent.*

Diple-